



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die xxvij. Augusti. In Festo Sancti Josephi Calasanctii
Confessoris**

Paderbornae, 1770

In III. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62845](#)

vit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, & cui Beatissima Virgo cum puerō Jesu illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetiâ, abdita cordium, & absentia cognoscendi donis, & miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate & ipse ab infantiâ coluit, & suis maximè commendavit, aliorumque Cœlitum frequenti apparitione dignatus, cùm obitus sui diem, & Ordinis tunc propè eversi restitutionem, atque incrementum prænunciasset, secundum & nonagesimum annum agens, Romæ obdormivit in Domino octavo Kalendas Septembribus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus Cor, & Lingua post sæculum integra, & incorrupta reperta sunt. Ipse verò multis post obitum quoque signis à Deo illustratus, primùm à Benedicto decimo quarto Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde à Clemente decimo tertio inter Sanctos solemniter est relatus. Rx. Iste Homo &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Ho-

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Iz Cap. 18. Matth. Hom. 6o.

Videte, ne aliquem istorum contempseritis parvolorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, & quia ego propter eos veni, & hæc Patris mei voluntas est. Ad tuendos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quām ingentia in tutelam tenuium mænia erexerit, & quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos pœnas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt, idque tam suo, quām Patris exemplo corroborat. Rx. Iste est &c.

Lectio VIII.

Dominum igitur etiam nos imitemur, & nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum, quæ humilia, viliaque nimium videntur: sed si administratione nostrâ etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia hæc pro fratriis salute tolerabiliora, facilioraque, oro, videantur: Tanto enim studio, tantaque curâ Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercere.

Rx. Sint lumbi vestri &c.

Le-


Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salutem , quod virtuosè ipsi vivamus , sed oportet aliorum salutem re ipsâ desiderare ; cum neque nos rectè vivamus , neque alias hortemur , quid respondebimus ? quæ nobis spes salutis reliqua erit ? Quid majus , quam animis moderari , quam adolescentulorum fingere mores ? Omni certè pietore , omni certè statuatio , cæterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco , qui juvenum animos fingere non ignoret. Te Deum.

De præcepto in Univ. Eccl. recitand. ab omnib. Christifidel. tam. Secul. quam Regul. utriusq. Sexus , qui ad horas Canonic. tenentur , (cum Mis. prop.) ex Decr. Urbis Orbis edito à Clemente PP. XIV. sub Die 19. Aug. 1769.

Juxta Exemplar Romanum.

Cum Permissu Superiorum.



Paderbornæ Typis & Sumptibus Wilhelmi Junffermann , Typog. Aul. 1770.